

ΠΑΛΙΓΓΕΝΕCΙΑC
ΜΑΕΤΤΙΓΙΑΝΑΕ

FORMVLAM EXPRIMIT,

AD

GREGORII MAETTIGII

RECOLENDAM

MEMORIAM,

DIE VI. MARTII, MDCCCLXXXIII. A II.

MAGNIFICVM VRBIS SENATVM,

CETEROSQVE

REI NOSTRAE

FAVTORES EGREGIOS,

SYMMA HVMANITATE ATQVE OBSERVANTIA



INVITAT



M. CHRISTOPHORVS HIEREMIAS ROSTIVS,
RECTOR.

BVDISSAE,

TYPIS VIDVAE SCHOLTZIAE.

Παλιγγενεσίαν varie, nec eodem modo intelligunt, quibus vsu venit, verbum istud frequentare. Ac satis quidem constat, Theologorum hanc esse rationem, vt παλιγγενεσίαν interpretentur preclarum illud ac diuinum munus, quo per fidem in Dei Immortalis Filium regeneramur, et augeamur omnibus bonis, in quibus vera vita atque vnice expectanda inest. Philosophi autem, maxime illi Citrici Zenonis sectam secuti, cum sibi persuasissent, eo fato esse naturam vniuersi, vt exureretur suis temporibus, atque ita igni instauraretur, eam rem signare appellatione παλιγγενεσίας, quod omnes scimus, soliti sunt. Neque vero non eiusdem nominis tertia vis atque potestas habetur locata ea in vsu ac consuetudine sermonis, quae cuiusmodi sit, facile discimus ex Ciceronis epistolis, qui ad Atticum VI. 6. salutis, fortunæ, ac dignitatis suæ restitutionem, cum honorificentissime reuocatus esset ex exilio, et quasi recreatus reuixisset, παλιγγενεσίαν vocat: vnde Ernestus in Clauē diligenter sane et accurate, vt nobis quidem videtur, locum illum Math. XVIII. 28. declarauit. Atque istam verbi significationem transferre licuerit ad eam causam, quam agimus hoc tempore, quo tempore propositum est nobis de παλιγγενεσία Mættigiana, quantum vires ex grauissimo morbo nondum plane recuperatæ sinunt, perpaucis exponere.

Igitur Mættigiana παλιγγενεσία videri potest, quoties Viri de hac vrbē, atque schola immortaliter meriti animum atque sensum erga nos læti, ac grato animo celebramus: quod facimus omnibus annis statō ac solenni die, cuius rei testis satis locuples est, vel hæc qualiscunquē chartula, qua nostros homines de obeundo illo sacro admonuimus, eaque in re cum defungimur nostræ pietatis officio, tum etiam ipsius Mættigii, vt est in testamenti tabulis, vniquē voluntati satisfacimus. Ita enim mortuū quamuis abhinc annos CXXXIII. memoria vsque renouatur, et tanquam illex duris bipennibus abscissa reuirescit. Enimvero inciderunt tempora, quæ facerent, vt ætas hæc nostra longe aliam videret παλιγγενεσίαν Mættigianam, de qua nunc deinceps secundo loco, et aliquanto explicatè magis atque vberius.

Ac summus ille Vir, quem sæpe, nunquam sine iusta veneratione dicimus, quobus mensibus ante, quam gloriosam vitam cum placida morte commutaret, sic instituerat testamento facto, vt ex maiori parte suæ hereditatis adolescentes duodecim numero, plures etiam, si ratio temporum ita permitteret, æmulantes illi apud nos studia, alerentur honeste, eisquē, quantum satis esset, cibi et potitionis quotidie in prandiis atque cænis præberetur: vniquē iidem sodales Mættigiani separati a ceteris discipulis quasi congregarentur in corpus vnum, et præter communionem vitæ, etiam communibus atque iidem tectis vterentur; quo illud suum insigne beneficium eo magis, credo, emineret, iuuenes vero tantæ liberalitatis participes, quod ipse haud obscure significauit, seueriori disciplina possent contineri. Quæ extrema Viri iudicia, vt et ceteras Eius voluntates, Magnificus vrbis Senatus, cui suorum munerum curationem atque administrationem Ipse Mættigius tradiderat, sic per omne tempus defendit ac tuitus est, vt nemo vnquam Eiusdem Senatus fidem ac diligentiam desiderare ea in re potuerit. Datum enim est huic ciuitati nostræ iam antea laudi, hodieque est, semperque erit maximæ gloriæ, quod in ea non solum inuenti sunt mimine pauci, et ad hodiernum diem inueniuntur, quorum studium atque beneuolentia erga nos in ornanda augendaque schola magnopere extet, sed quod etiam præfecti reipublicæ mortuorum testamenta sanctissime obseruare, diligentissimeque custodire solent, vt collata vel in

scholas,

scholas, vel in quoscunque munera per omnia secula viuant atque vigeant, neque, quod multis in locis factum, ferique audimus, prorsus intermorianantur. Sed enim tempora inciderunt eiusmodi, quæ vt totam rempublicam funditus euertent propemodum, ita quoque Mærtigiano fodalitio magnum detrimentum afferrent. Loquimur de iis malis, quorum quasi cohors nuper huic vrbi, atque Lusatia incubuerat, de bello illo diuturno atque crudeli, de crebris ac feralibus incendiis, de intemperie aquarum, de agrorum sterilitate, de annonæ caritate, de iacente et afflictâ mercatura, de aliis, quæ animus horret meminisse.

Omnibus aerumnis affecti denique viuunt.

In quo publico tanquam naufragio Mærtigianorum fodalitas, de qua in primis queritur, multa perdidit ornamenta dignitatis, et præsidia stabilitatis suæ, idque maxime, quod maximum et rei caput erat, communis victus, atque habitationis commoditatem. Quod autem facere Medicos videmus, vt, quoties salutem ægrotanti, vires, et colorem reddere non possint, vt nihil rerum omnium prætermittant, quæ ad tuendam seruandamque eius vitam pertinere vilo modo videantur: id hac in causâ similiter factum est a Magnifico Senatu vrbis, cui vere persuasum est cum Artaxerxe, Xerxis filio, imperantes addere magis, quam detrudere decere, vt, cum propter temporis atrocitatem, integrum præstare corpus Mærtigianum non liceret, tamen eius dissipatis membris consulere pro copia ac facultate, daretque singulis fodalibus pecuniæ quot hebdomadibus aliquid, vnde suam quisque ærumnam magnam partem consolaretur. Quam inuitus autem Senatus noster non minus auctoritate, quam fide, atque integritate ille præstantissimus descenderit ad hoc consiliû, et quam non voluntate, sed plane coactus Mærtigii voluntatem, non nihil migrauerit, quamuis nemini vnquam fuerit dubium, tamen postea, et hoc maxime anno declaratum est. Simulatque enim respublica vertere ceperat in statum meliorem, Optimi Patres vrbis atque scholæ, nihil prius et antiquius habuere, quam vt Mærtigiana res vtique restitueretur. Et sanè restituta ea est, gratia Deo Immortali, sic, vt ad pristinam consuetudinem et conuictus, et communium rectorum Mærtigiani homines reuocarentur, et sua vis atque auctoritas Mærtigii testamento, rei nostræ tam salutari ac fructuoso, rediret rursus, postquam fodalitium per annos vndecim suo conuictu, habitatione vero ab anno MDCCCLXVI. necessario caruisset. En vobis illam *παλιγγενεσίαν*, de qua, nos breuiter dicturos esse, antea promiseramus.

Supereff, vt, gratis cum Deo Immortali, tum Magnifico Senatui pro tanto ac tam singulari beneficio actis demississime, nunc deinceps annectamus, quas ea restitutio atque instauratio vtilitates habeat. Ac primo quidem, quoniam rota res ad veritatem pertinet, atque fidem, summo honori est Patribus sanctissimis, non apud ciues modo, sed etiam apud externos, quod ita clarissime apparet, putare eos, Mærtigiani muneris procuracionem non solum datam sibi, sed etiam creditam ac commissam esse, seque gerere istam tutelam, non vt ipsi augeant commoda sua, sed vtilitatem eorum, quibus tutores relicti sunt. Quod vt natura sua valde laudandum est, ita aliquanto videri etiam debet laudabilius, quia salus scholæ agitur in ea re, quam negligere, contemnere, minuere, quam pro nihilo habere, prope seculum est. Enimvero ipsi Gymnasio, et mores, litteras, atque disciplinas inde perentibus adolescentulis, quis non videri atque intelligit, istius modi commutationem plurimum prodesse? Voluit Mærtigius, ita enim aperte perscriptum est in testamenti tabulis, vt, qui venissent in partem suæ munificentiae, maxi-
me

Zc 517874

V
D
18

me omnium discentium vitio carerent, ceteris commilitonibus, probitatis, modestiæ, atque industriæ specimen essent. Sic autem futurum vix est, nisi alicuius viri sodales vrantur contubernio, cuius in conspectu versentur, et qui oculos de iis quasi nunquam deiciat, qui studia exigat assidue, qui roget, moneat, horretur, qui accuset, increpet, puniat. Quotidianus autem victus quod nostris denuo hominibus non tam nomine, quam re ipsa, præbetur, id cum Eiusdem sit Mættigio præscripto, tum ad ordinem, ad valerudinem, immo vero et ad dignitatem incredibiliter facit. Scimus enim ac nouimus, quid tentare soleat eius ætatis cupiditatem atque inscitiam, in primis si instructa ea est pecunia. Neque vero non isto pacto minus atque minus audiemus pauperiorum discipulorum querelas, et parentum, qui falso quamuis, sed tamen querantur, præuerti sibi, atque suis locupletiores, et intercepti cibum a gratiosis hominibus atque factiosis, quem capere ex testamento inopes tantum atque egenos oporteret. Etenim in re lauta et bene parte aucta constituti ea haud dubie postmodum erunt verecundia, vt non inducant animum, illud beneficium petere, cum domi facile et sine sumtu ali sustentarique possint. Tandem vero et incolentes hanc pulcherrimam urbem ita multis generibus molestiæ atque oneris leuantur; quod eo minus videtur prætereundum, quo planius in testamento Mættigiano demonstratum est, hac mente in primis Optimum Virum de victu atque cultu bonæ parti discipulorum protulisse, vt ea ratione afflictam superiorum annorum malis ciuitatem subleuaret, exhaustamque eius liberalitatem nonnihil moderaretur. Quotusquisque enim inuenietur nostrorum epulonum, qui tanta sit impudentia præditus, vt sectari alienas mensas audeat? Quis nostrorum ciuium, qui nihiloscus id audentes non iure summo repellat ac reiiciat?

Diximus pro loco et tempore de *παλιγγενεσία* Mættigiana, sed tamen bene multa eandem in rem dicenda restant: quam partem sibi, grati animi ergo, sumserunt sex iuuenes, nati illi meliori ingenio, animoque, quam fortuna, qui cum aliis octo nunc quidem, se tanto officio deuinctos esse, non modo palam contentur, sed etiam vehementer gaudent. Nomina infra adscripsimus.

Iohannes Godofredus Kulmus, Zittau. Lufatus.

Iohannes Gotthelf Kreusel, Hain. Misnicus.

Christianus Gotthold Feller, Lœbau. Lufatus.

Ernestus Gottlob Sutorius, Lœuenberg. Silesius.

Iohannes Gottlieb Iunghænel, Vucissenberg. Lufatus.

Christianus Carolus Brescius, Budissensis.

Instituerunt autem die castini salutis suæ auctoribus, Deo quidem Immortali, Mættigio, et Senatui vrbs, gratias agere, et in gratis agendis cum maxime hanc nostram *παλιγγενεσίαν* ornare atque prædicare: quod institutum est eiusmodi, vt Magnificum vrbs Senatam, ceterosque rei nostræ Fautores egregios, ad eos audiendos beneuole, maxima humanitate inuitare, nulli dubitemus.

P. P. Budissæ, die V. Martii, MDCCCLXIII.

211

ΠΑΛΙΤΤΕΝΕCΙΑC ΜΑΕΤΤΙΓΙΑΝΑΕ

FORMVLAM EXPRIMIT,

AD

RII MAETTIGII

RECOLENDAM

MEMORIAM,

MARTII, MDCCCLXIII. A II.

VM VRBIS SENATVM,

CETEROSQVE

REI NOSTRAE

DOCTORES EGREGIOS,

HUMANITATE ATQVE OBSERVANTIA

INVITAT



PHORVS HIEREMIAS ROSTIVS,

RECTOR.

BVDISSAE,

TYPIS VIDVAE SCHOLTZIAE,

